



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 59. Diversorum judicium circa Episcoporum jurisdictionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](#)

Sæcul. XVI.

A.C.1562.

§. LIX.

*Patrum judicia circa formulam  
Lotharingio Cardinale pro-  
positam.*

Pallav. p.288 **Q**uamvis omnes suam sententiam omnino prævalituram sperarent, cuncti tamen hi varii sermones rem haud decidebant, cum quivis plerumque potius privatæ suæ opinionis, quam veritatis tuendæ studiosus videretur, ac quidem inter ceteros Lotharingius Cardinalis formulam a se propositam non fuisse illico approbatam queretur, nihilominus tamen, ut ea examini subjiceretur, tolerare cogebatur; quippe hanc in rem feligebantur septem Theologi, & duo Canonicæ Jurisprudentiæ Doctores: porro Theologi fuere Petrus Antonius Capuanus, Leonardus Marinus, & Caspar de Fosso, quorum primus erat Archiepiscopus Hydrinus, alter Lancianensis, & tertius Reginus: insuper nominabatur Didacus Laynius Societatis Jesu Præpositorus Generalis: Canonum autem periti fuere duo, qui postea in summos Ponticos fuere electi, Hugo Boncampagnus, & Joannes Antonius Facchinettus, praeterea Episcopos Vestanum, & Neocastrensem, qui duo demum Cardinales renuntiabantur. Denique Gabriel Paleottus Roma-

Romanæ Rotæ Auditor, & Scipio Lan- Sæc. XVI.  
cellotus, Synodi Advocatus feligeban- A.C.1562.  
tur, quibus adjectus est promotor Joan-  
nes Baptista Castellius.

## §. LX.

*Annotationes in hanc formulam.*

Tribus primis Theologis exemplar *Pallav.* p. 288  
Lotharingii Cardinalis placebat, non  
tamen Laynio, qui a se schisma præ-  
videri affirmabat, cui tandem concor-  
diter consensere Canonum Doctores, ob-  
jectorum autem summa hæc fuit.

Septimo Canone secundum memo-  
ratam Lotharingii Cardinalis formam,  
in eo, quod declarat, Episcopos esse in-  
stitutos a Christo, nihil impugnantur  
hæretici, id enim ipsi non inficiantur,  
sed asserunt, Episcopos assumptos a Ro-  
mano Pontifice, non esse veros, ac le-  
gitimos Episcopos, eosdemque appel-  
lant capita rafa, inuncta, oleo perlita,  
& larvas Papales: insuper in hac for-  
ma proscribitur sententia plurimorum  
catholicorum Scriptorum, qui existi-  
mant, unicum Episcopum, hoc est, Di-  
vum Petrum fuisse a Christo institu-  
tum, & reliquos omnes ab eodem hoc  
Apostolo: unice igitur, pergebant illi,  
prætextus obtenditur, quo hæretici  
persuadere nituntur, quod Episcopi in-  
ter hæreticos a Regibus, aut a populo

Q q 3      electi